



Wd. 29.  
14

11. a. 60.

In hoc libro continentur DISSERTATIONES

I. BOETHIUS patr. et fil.

De variis sacrilegiis speciebus.

De privatione Dotis.

De Poena fuis sibi dicentis sine Iudice,

De maiestate Imperii Magistr. maior.

De Tolerantiae religiose effectibus ciuilibus.

De Potestate Procuratoris

De fure circa liberos improbatæ lectionis.

De Inuria filiarum nobilium a successione exclararum legitima

De Programmati judiciali.

De Auditorio judiciali

De variis sacrilegiis Speciebus.

II. BODIN

De Usuris licitis ultra quindecim.

De casu fortuito a quasi usurpatoris non practando.

De fustigationis iniquo uso.

III. GASSER

De Beneficio: Non deducta, deducā, non probata probabo.

De Memoria Initii contra Prescriptionem imemoriam.

De frumentitate Positionum cum Juramento.

IV. HEINECKE

De leuis nota macula.

De nanibus ob mercium illicitarum vocationem consisti.

De Collegiis et Corporibus Opifidum.

V. FLEISCH

De Turibus et Judice Legatorum.

VI. GRUBER

De Actionibus Mandatis.

De minore Procuratore.

De Iudice milite.


De auricu vitteris ordine.

De negotiis in persona proprie explicandis.

VII. SCHLUTTER

De eo quod iustum est circa gratitudinem.

De thesauro in fundo vendito.



13

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*De*  
**CASU FORTUITO, A  
QVASI USUFRUCTUARIO  
NON PRÆSTANDO,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATVS BRANDEN-  
BURGICI HÆREDE, &c. &c.

*Ex Decreto & Authoritate inclita Facultatis Juridicae*

PRAE S I D E

**DN. HENRICO BODINO,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORVSSIÆ  
CONSIL. ECCLES. IN DUCATU MAGDEBURG. ET PRO-  
FESSORE JURIS ORDINARIO, NEC NON FA-  
CULT. JURID. p. t. DECANO,

*DN. PATRONO ET PROMOTORE SUO etatem devenerando,*

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-  
VILEGIA DOCTORALIA ritè capessendi,  
ad d. IV. Augusti anno MDCCIII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni sicut

**SIGISMUND ANDREAS Oberkampff**  
Misn. Misn. Advocatus juratus.

---

Hala, typis Christophori Andreæ Zeitleri, Acad. Typogr. 1703.





I. N. D. J. C.  
DISPUTATIONIS INAUGURALIS  
de  
**CASU FORTUITO A QVASI  
USUFRUCTUARIO NON PRÆ-  
STANDO**  
THESES I.



Um avida cupiditas generis huma-  
ni, post introdncum Meum & Tu-  
um, varias inventiones produxit,  
quo cujusque indigentis subve-  
niri, ac opes augeri possint, homi-  
nes quibuscunq; propriis frui non  
contenti, sed & in alienis rebus  
sibi utilitates procurare solliciti  
fuerunt, unde Servitutes rerum  
ortæ, per quas alteri, quam ipsius rei proprietario, u-  
sus & fruitio ejusdem rei competit. Quæ, si in certæ  
tantum personæ commodum sint restrictæ, lieet ratione  
subjecti passivi rebus inhærent, ac exinde jus in re pro-  
ducant, personales vocantur, si verò in commodiorem  
usum prædii vicini directæ, ac proinde a quovis prædi-  
um illud tenenti exerceri possunt, reales appellantur.  
Inter illas autem personales servitutes, quam maxime e-

Servitutum  
Origo.

Distinctio  
in Personæ  
les & Rea-  
les

A 2 minet

DISP. DE CASU FORTUITO

4 minet ususfructus, qui describitur in Leg. 1. ff. de Uſuſr.

Uſuſr. & in princ. Inst. eod. Quod sit jus alienis rebus utendi  
ſruendi ſalva rerum ſubſtantia. Qui non tantum viduis  
aliisve perſonis per ultimam voluntatem ſæpiſimè relin-

qui ſolet, ſed etiam in frequentiſimiſ casib⁹ ipſo jure  
comperit. Ut 1) Patri in bonis adventiſi liberorum,  
quos adhuc in potestate habet, & formaliter emancipa-

torum, in prœniūm emancipationiſ, l. 6. C. de bonis qua-  
lib⁹. & §. 2. Inst. per quas perſon. nob. acqu. 2) Competit  
conjugi ſuperfitti ſecundò nubenti in bonis à defuncto  
profectiſ, vid. l. 3. s. 4. C. de ſecund. nupt. Quod hodie au-

tem in Foro Saxoonico, ob contrariam conlvetudinem,  
non obtinere videtur, vid. Brunnem. Cent. 5. Dec. 58. n. 11.

Econtrà autem datur Jure Saxonico ususfructus marito  
in bonis uxorii per L. R. l. 1. a. 31. 45. jun. l. 57. ff. de LL.  
Cum autem in bonis, in quibus ususfructus conſtituen-

do, non raro erant res, quæ neque naturali neque ci-  
vili ratione uſumfructum recipiebant, & ſecundum na-  
turam uſusfructus, illarum utilitas ac fruitio ſalva earum-  
dem ſubſtantia contingere, ac ſic in ſpecie reſtitui non

poterant, ſed uſu & abuſu conſumebantur, tempore Li-  
beræ Reipublicæ res digna videbatur, ut Senatus con-

vocatus de uſuſr. rerum conſumtibilium delibera-  
ret. In quo Senatus Consulto conculſum est, ut rerum  
etiam fungibilium uſuſr. ſubliſtat, ita ut transfe-

ratur proprietas rerum fungibilium in quauſuſr. uſuſr.  
& hic ad reſtitutionem in genere ſeu rei aſtimationem  
præſtandam, uſuſr. per mortem vel capitis

deſtinuationem finito, ſit obligatus l. 7. & l. 9. ff. de Uſuſr.  
ear. rer. que uſuſr. de hac reſtitutione autem he-

redi caveret & talis uſuſr. quāli uſuſr. dice-  
retur §. 2. Inst. de uſuſr.

THEſ.

## A QUASI USUFR. NON PRÆSTANDO.

THES. II.

Ex hac in quasiusufructu translata rei proprietate, *Scopus dī-*  
& constituta obligatione ad cayendum, de re in genere *spatationis*,  
vel ejus aestimatione restituenda, plurimi Jureconsulti  
simpliciter inferunt, quod quasiusufructarius etiam o-  
mnes casus fortuitos indistinctè præstare debeat, per  
commune illud axioma: Rem suo domino perire. Cum  
vero hæc regula in aliis juris capitibus notabiles recipiat  
exceptiones & limitationes, & in specie, quamvis ante  
traditionem factam emtor rei Dominus non sit, tamen  
eandem editori perire, indubitatum sit §. 3. *Inst. de emt.*  
*vend. tot. tit. ff. de peric. & commod. rei vend.* Nec quo-  
que videatur id perfectè alicujus esse, quod ex casu auf-  
ferri potest 1. 139. §. 1. *ff. de Reg. J.* non immerito dubitari  
potest, utrum, *Quasiusufructarius*, qui ratione satisfa-  
ctionis non aliter, quam quatenus illa re usus fruitusve  
fuerit, alias verò, in casum finiti quasiusufructus, ad i-  
psius rei restitutionem obstrictus est, ad casus fatales  
præstandos absolute obligetur? Ad quod eo clarius re-  
solvendum, 1.) Videbimus, in quonam formalis ratio  
quasi ususfructus consistat, ita, ut essentiali conceptu à  
credito ex mutuo distinguatur. 2.) Quid nomine casus  
fortuiti hic veniat & quomodo ille à quasiusufructuario  
præstandus sit:

THES. III.

Est autem *Quasiusufructus*, jus ex Romano Sena-  
tusconsulto introductum, per quod res fungibles, ita  
alteri cedunt, ut ille easdem consumere & in suam uti-  
litatem convertere possit, reservatà alteri quasi propri-  
etate, consistente in specialissima cautione, de illis rebus  
in casum mortis vel capitis deminutionis, in eodem ge-

*Quid pro-  
priè quasi  
usufructus.*

A 3 nere,

## 6 DISP. DE CASU FORTUITO

nere, vel loco ejus aestimatione, restituendis. v. l. l. l. 4,  
l. s. ff. de usfr. car. rer. que usū cons. Ex qua definitiōne  
apparet, in illis rebus, quæ usū consumuntur, idem  
denotare usum & usumfructum, ac ita quasi usum a quasi  
usufructu distinctū non dari d. l. s. §. fin. l. 10. §. 1. eod. Et quam-  
vis per mutuum etiam transferatur dominium rerum fun-  
gibilium, ita ut res in eodem genere restituantur, ab illo  
tamen quasi ususfructus essentiali conceptu differt, non  
quidem uti DD. volunt, quod mutuum ad certum tem-  
pus contrahatur, quasi usus fructus verò demum morte  
finiatur, cum illud, de restituendo post præfinitum tem-  
pus mutuo, tantum hujus naturale sit, & conventione  
mutari, possit ac nihilominus mutuum maneat, si con-  
venierit, de credito non, nisi post mortem, repetendo,  
quoniam pactum de non petendo essentiam negotii non  
mutat, bene tamen exceptionem tribuit, §. 3. I. de Ex-  
cept. l. l. l. 4. ff. de doli mali & met. except. Sed consistit  
differentia quasi ususfructus & crediti in eo, 1.) quod si  
ultima voluntate vel lege quasi usus fructus alicui con-  
cessus sit, tunc etiam ante traditionem factam quasi usu  
fructuario jus in re competere, quod secus est in mu-  
tuuo, utpote quod demum rei traditione perficitur. 2.)  
In quasi usufructu reservata alteri est quasi proprietas,  
eum relata sint simul natura, quæ quasiproprietas in  
cautione quasi usufructaria se exserit, ita, ut licet hæc  
cautio ab initio non intervenerit, tamen quandocun-  
que condici poslit, cum sit de essentia hujus negotii d.  
l. s. §. 1. quod secus est in mutuo, per quod omnis pro-  
prietas plenisime transit, ut ex eo non nisi personalis  
actio competit. 3.) Quasi ususfructus essentialiter certæ  
personæ inhæret, quæ extinctâ, ipsa res ad quasi propri-  
etari-

Quomodo  
differt a  
mutuo?

A QUASI USUFR. NON PRÆSTANDO 7  
etarium redit, secus in mutuo vid. Meierus in Colleg.  
Argent. ad tit. ff. de Usufr. ear. rer. que usū cons. & Mys.  
ad §. 2. Inst. de Usufr.

THES. IV.

Quia tamen ipsa s. vera proprietas per quasi usum-  
fructum transfertur d. l. 7. b. t. & contingere potest, ut  
res, in quibus quasi ususfructus constitutus erat, citra  
quasi ususfructuarii usum vel utilitatem, fatali damno seu  
casu fortuito pereant, merito investigandum, quid no-  
mine casus fortuiti in hac materia venire posse? In ge- *Quid sit ca-*  
nere quidem casus fortuitus denotat in opinatum even- *sus fortuity.*  
tum, qui diligentia & prudentia humana ab eo, qui il-  
lum patitur, averti nequit. a. l. 18. cum seq. ff. commod.  
Cum qua definitione etiam descriptio Ulpiani l. 2. §. 7.  
ff. de administr. rer. ad civit. part. convenit, vbi casum  
fortuitum dicit, quem nullum humanum consilium,  
prævidere potest, seu, cui humana infirmitate resisti vel  
caveri non potest. l. 1. §. 5. ff. de Obl. & A. T. it. l. 4. C. de  
peric. tut. Dicitur & alias casus simpliciter. l. 23. ff. de R. J.  
Damnum fatale l. 3. §. 1. ff. Nautæ, caupones, Fortuna. l. 1.  
ff. de magistr. conven. Adversa fortuna. l. 38. ff. de verb.  
Signif. Vis divina. l. 25. §. 6. ff. commod. Casus improvi-  
sus l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. l. 13. C. Mand. Periculum  
l. 14. ff. de peric. & commod. rei vend. Quamvis in illis ne-  
gotiis in quibus quis ultra certa culpa gradum ad cu-  
stodiam rei, ad alium pertinentis, non obligatur, tamen  
sub casu fortuito etiam illi eventus continentur, qui vel  
communi vel exactissima diligentia averti potuissent l.  
13. §. 1. ff. de Liber. causa. l. 1. C. commod. Quo sensu etiam  
furtum vel incendium in ædibus ortum, similiaque ad  
casus fortuitos referuntur §. 3. Inst. de emt. vend. l. 5. §. 4.  
*ff. Com-*



8 DISP. DE CASU FORTUITO

*ff. Commod.* quæ alias culpæ annumerantur, vid. l. n. §. 1.  
*ff. Loc. conducl. l. 3. §. 1. & 2. ff. de Offic. Pref. Vigil.* Propriè  
verò ad casus fortuitos pertinent, e. g. mors, latronum  
hostiumve incursus, piratarum insidiæ, naufragium, ex-  
trinsecus vel ex tempestate ortum, fugæ servorum L. 18.  
*ff. Commod.* Vis aquarum, insolita ventorum vehemen-  
tia, ruina, labes, effractura, rapina & tumultus L. 24. *ff.*  
*de R. 7.* Hæque septem ultimæ species dicuntur casus  
majores, licet & effractura, (cum illa per custodes impe-  
diri potuerit,) culpæ levissimæ adscribi mereatur, arg. L.  
3. §. 2. *ff. de Offic. Pref. vig.*

TH. V.

*Quid in  
materia u-  
susfructus  
casui impu-  
retur.*

In hac autem materia, cum ad usumfructuarium  
omnis utilitas ex re alterius perveniat, ac ita, juxta re-  
gulam in l. s. §. 2. *in fin. ff. Commod.* propositam, in re u-  
susfructaria custodiendâ, non solum culpa sed & dili-  
gentia præstanta sit, omne illud quod ullâ humanâ di-  
ligenziâ præcaverti potuisset, casui fortuito, non accen-  
sabitur quia omnem rei curam suscipere debet usufruc-  
tuarius L. 1. *in fin. ff. de Uſufruct. quemad. cav.* nisi quate-  
nus simul aliqua proprietarii utilitas subsit, e. g. si vel vi-  
due, vel alicui ex cohæredibus, quorundam bonorum  
usufructus relinquatur, ut interim impuberibus liberis  
tanquam proprietariis alimenta præstentur, tunc enim  
communem diligentiam usufructuarium adhibuisse suf-  
ficiet, *d. l. s. §. 2.* Illud vero, quod de custodia rei in u-  
sumfructum datæ dictum est, ad ipsum ejus usum seu  
fruitionem non pertinet, licet enim, in fruitione rei a-  
liquid fecerit vel neglexerit, quod aliter factum dili-  
gentiori cultu, in ipsius rei meliorationem profuturum  
fuerit, de eo tamen usufructuarius non tenetur, dum  
modo

## A QVASIUSUFRUCT. PRÆSTANDO.

9

modo juxta communem diligentiam boni viri arbitratu re usus fuerit. L. 9. pr. C. §. 2. l. 13. §. 45. l. 65. ff. de Usu fruct. §. 39. Inst. de Rerum Div. L. 1. §. 3. ff. usufruct. quem admodum cav. Insuper tamen ad damna particularia, i- Casum par-  
tibus suppleri possunt, resarcienda est obstrictus l. 7. §. ticularem  
2. C. 3. l. 18. l. 64. l. 68. l. 69. l. 70. ff. de usufruct. l. 7. C. cod. §. usufructuar.  
39. Inst. de Rerum div. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exercit. ferre debet.  
12. tb. 23. cum ibid. alleg.

## TH. VI.

Hæc cum ita sint, & sic ex dictis liqueat, quod si citra culpam usufructuarii, res fatali damno perierit, il- Quasiusufr.  
lud damnum à proprietario ferendum, nec eidem ab ad casum  
usufructuario resarcendum esse. Iniquum etiam in particula-  
Quasiusufr. ad exemplum veri usufructus intro- rem ferendū  
ducto, videatur, si e. g. universitatis bonorum usufru- obligatus.  
ctu legato, ædes ac in illis res fungibles sub eodem u-  
sufructu comprehensa, incendio periissent, de ædium re-  
stitutione talem usufructuarium quidem non teneri, ob-  
ligatum tamen esse, omnia illa quæ in quasiusufructu  
fuerunt restituere; ideo quid hic justum sit, videbimus;  
Ubi quemadmodum damnum modicum & particulare  
ex fructibus ab usufructuario est reparandum per retro-  
dicta, sic quoque in quasiusufructu idem juris esse minus  
dubii erit, cum nihil magis naturale sit, quam illum in-  
commoda sequi, quem sequuntur commoda, quare si ex  
grege ovium in quasiusufructum estimatō concessa,  
quædam capita perierint, quasiusufructarius illa ex fœ-  
tu supplere debebit, juxta §. Sed si gregis, Inst. de Rer. div.  
ac idem de arboribus & vineis ad verum usumfructum  
pertinentibus ibidem asseritur, cuius exemplo, si pecu-

B

nix

niæ usufructu concessu, aliqua ejus pars perierit, quæ ex fructu civili seu utilitate ex summa residua obveniente facile restituï potest, non dubitarem asserere, illum casum à quasiusufructuario ex reliquis obventibus præstandum esse.

## TH. VII.

Potissimum vero dubium in eo versatur, quis  
damnum illud ferre debeat, quô integra res, in quasiusufructum data, periit? Ubi quidem & hoc inter-  
DD. indubitatum & in confessu erit, quod ante præstati-  
tam cautionem quasiusufructuarium & subsequentam tra-  
ditionem, fatalis casus, quo ipsa res interiit, à quasiusu-  
fructuario, ut hic scilicet ratione ejus quasi proprietati-  
rio satisfaciat, exigi non possit; Quamvis enim in casu  
legati quasiusufructus certorum corporum, ratione hu-  
jus dominium illarum rerum ipso jure in hunc post  
mortem testatoris ab adita hereditate transferatur arg.  
§. 1. Inſt. de Legat. l. un. §. 2. ff. quando dies uſuſfr leg. ced.  
l. 2. C. ib. l. 7. ff. de Uſufr. ear. rer. que uſu conf. & sic res  
domino, non alteri perierit, tamen quia possessio & cu-  
ſtodia illarum rerum in quasiusufructuarium nondum  
fuit translata, quasi proprietarius dupli damno non  
est afficiendus, ut non tantum re ipsi in quasiusufructu-  
m legata carere, sed & pro casu qui contigit, quasi  
proprietario satisfacere debeat. Proinde quemadmo-  
dum, ædibus, in usumfructum datis extinctis, verus u-  
ſuſfructus exspirat, & exinde nulla actio contra alterum  
remanet l. 5. §. 2. l. 10. §. 7. ff. quibus mod. uſuſfr. finit.  
l. 36. pr. ff. de Uſuſfr. sic quoque pecunia, vini, olei si-  
miliumque rerum, quæ abusu contineri dicuntur in d. l.  
7. in fin. mutatio vel casus, qui antea contigit, quam  
res

A QVASIUSUFR. NON PRÆSTANDO. xi

res ad quasiusufructuarium pervenit, tantum hujus jus perimit, nulla utrinque remaiente obligatione l. pen.  
¶ ult. ff. quibus mod. ususfr. amitt. Ast si tantum certæ quantitatis & non intuitu certorum corporum quasiusufructus in genere sit relictus, illudque, quod ad præstandum hoc legatum, heres paratum habebat, ante factam traditionem sine mora à quasiusufructuario commissa periisset, dubium non est, quin damnum hoc ad solum heredem pertineat, qui in eodem genere nihilominus quasiusufructuario satisfacere debebit, cum genus legatum hic extinctum esse, dici non possit.

TH. VIII.

Si vero traditione quantitatis in quasiusufructum concessa facta, illud, quod datum est sine omni culpa illius quasi usufructuarii perierit, utrum tunc propter cautionem interpositam hic nihilominus ad restitutionem finito quasi usufructu teneatur? magis dubium est: Ubi quidem DD. communiter afferunt, quod quemadmodum in quasi usufructuarium hoc casu omnis proprietas est translata. per d. l. 7. ff. de Usufr. ear. rer. que us. cons. ita quoque omne periculum ad hunc tanquam dominum pertinere, ita quidem, ut re licet casu peremptâ, tamen quasiusufructuarium vi præstitæ cautions ad ejus æstimationem præstandam teneri. Verum si casus in natura quasiusufructus contineatur, ut si casus fatalis in quasiusufructuarii persona contigerit, per hujus properatam mortem, antequam rem fungibilem acceptam in suam utilitatem impenderit, ejus jus finitur, ac propterea ipsam rem ad quasi proprietarium reverti, ac eandem condici posse. l. 5. §. 1. dict. tit. per consequens antefactam consumtionem eadem corpora al-

Si post fa-  
ctam tradi-  
tionem pe-  
riit, quia  
tunc juris.

Et quidem  
si casus con-  
tingit, ante-  
quam resin  
utilitatem  
quasiusufru-  
tuarii ver-  
sa.

teri deberi, imo in quasi proprietate alterius esse, ideo si in ipsa illa re, quæ ante abusum seu consumtionem alteri, debebatur, casus contingat, dicendum est, illam ei cui debebatur non alteri, licet dominus fuerit perire,  
*arg. l. 5. ff. de Reb. cred. l. 33. de Verborum Obligat. l. 5. §. 1.*  
*verb. periculo meo Stichus erit. ff. de Prescript. verb. cum & alias id quod casu quis præstare impeditur, pro præstito habeatur, l. 3. §. 3. & 4. ff. de condic. caus. dat. caus. non sec. l. pen. C. de condic. ob caus. dat. l. 5. § fin. ff. de rescind. vend.* Et ex eodem fundamento rei venditæ periculum, ad emtorem, cui debebatur, pertineat. §. 3. *Inst. de emt. vend. t. t. & peric. & com. rei vend. ibid. DD.* ut sic tali casu quasiusufructuarius à satisfactione pro te peremita præstanta, merito liberandus sit, præprimis cum ipsa cautio quasi usufructuaria secundum naturam negotii alium sensum non habeat, quam quod si illa res in quasiusufructum concessa, à quasi usufructuario pro hujus commodo impensa & consumpta sit, tunc illitus jure finito, tantudem restituendum esse, in nostro vero casu, illa utilitas quasiusufructuarii citra omne ipsius factum fatali evenitu impedita sit, ut illa ipsa cautio, condicione causa data causa non secuta repeti possit. Nec enim voluntati ejus, qui quasiusufructum alicui legavit, consentaneum videtur, ut dum huic benefacere intendebat, illud ipsum in ejus grave damnum tendere, ac eundem citra omne factum suum, ad rei casu peremptæ estimationem præstandam obligatum esse debere.

## TH. IX.

*S' res in negotio quasiusufructuarii casu super-*  
*emta hic e-*  
*jus estimat.* Postquam vero quasiusufructuarius quantitatem acceptam, pro suo arbitrio in certum usum impendit, aut impendere cœpit, in illoque negotio eadem periit, præstare tenetur. e. gr. si frumentum, vinum, similiaque in quasiusufructum

## A QVASIUSUFRUCT. NON PRÆST.

13

etum accepta, alibi commodius venditus, in alium locum transferendo, naufragio aut hostium invasione aut vi majori amiserit, aut pecuniam in ædium structuram impenderit, haec vero incendio consumta sint, hi, similesve casus, illi cui cautio quasiusufuctaria præstata, non nocebunt, nisi quatenus probari posset, illas res circa hoc ipsius factum nihilominus ex communi forte calamitate e.g. universali hostium invasione &c. perituras fuisse; tunc enim fatale damnum non tam ipsi rei, quam ipsius quasiusufuctuarii facto contigit; Factum autem cuique suum, non tertio nocere debet. Et sufficit illum res illas sine periculo alio modo impendere potuisse. Nisi forte ad eundem illum certum usum, quantitas illa quasiusufuctario legata fuerit. Tunc enim ex praesumpta testatoris voluntate, res in illo usu periculo hereditis erit, e.g. si pecunia quasiusufuctus ad ædes exstruendas Titio legatus sit, haec verò incendio periissent, æquus erit, illum ab ejus restitutione liberari.

## TH. X.

Quod si autem universitas rerum, quæ usu consumentur. e.g. grex, taberna cum mercibus ibidem contentis, cella vinaria, aller verhandene Vorrath von Wein mit dem Weinschand / similiave, alicui in quasi usum fructum data sint, tunc quidem singula corpora vel partes sub illa universitate contentæ, ac horum periculum ad quasiusufuctuarium pertinent, ut quemadmodum haec liberè alienare & in suos usus convertere potest, sic quoq; pro conservatione illius universitatis loco illorū quæ quomodocunq; decadunt, ex redditu fructu, seu lacro ejusdem universitatis (sed NB. non ultra, quam in illo obventu est) alia substituere vel illorum estimationem præstare tenetur. arg. §. Sed f. gregis 38. Inß. de Rer. Div.

Quid juris  
in quasi u-  
sufuctu u-  
niversitatis  
rerum.

B 3

Ipsa

14 DISP. DE CASU FORTUITO

Ipsa vero universitas bonorum ita conservanda, tanquam  
in vero usufructu ad proprietarium pertinere intelligi-  
tur, ita ut si haec casu fatali perierit, proprietarius nul-  
lam de ea actionem instituere possit, sed utriusque jus  
prorsus extingvatur arg. l. ult. ff. quomodo ususfruct. se-  
nit. Hinc etiam aliquando in contradictorio in casu,  
da ein Weinschendek also inter liberos disponiret hat-  
te: dass sein ältester Sohn den usumfructum seiner hinzu-  
verlassenden Weinschendek samt dem verhandenen Vor-  
rath an Wein/ und der in solcher Handlung steckenden  
Gelder/ so lange bis die sämtliche Kinder zu ihren männ-  
lichen Jahren würden gelanget seyn/ behalten; hingegen  
dassir denen übrigen Kindern/ wenn sich dieselbe in loco  
aufhalten würden/ freyen Aufenthalt verstatten sollt.  
Nach der Zeit aber durch eine Feuersbrunst das Haus  
samt vielen Wein verloren gangen: ad allegatam dictam  
rationem essentia quasi ususfructus, judicatum fuit: dass  
die gesamten Kinder solchen Schaden nicht weniger des  
Weins als des Hauses zu tragen schuldig wären. Vid.  
addit. Excell. Dn. Präf. ad Illustr. Dn. de Rhetz Disp. ad  
Instit. II. posse. 20.

THESS. X.

*Quid in le-  
gato ususfr.  
omnium bo-  
norum juris*  
Cum vero legatus ususfructus omnium bonorum  
primam occasionem Senatus consulto dederit, per quod  
quasi ususfructus legis autoritatem accepit. l. i. ff. de U-  
susfr. ear. rer. que usu consum. ideo potissimum adhuc  
investigandum, si sub universitate omnium bonorum  
res que usu consumuntur contentæ perierint, utrum  
ejus nomine proprietario satisficeri debeat. Evidem  
supra probatum est, quod si certa universitate rerum,  
que omnes usu consumuntur, legata, quedam ex illis  
perie-

A QVASILISUFRUCT. NON PRÆST.

15

perierint, illarum nomine ex fructibus reliquarum sub-  
stituendum esse, ut sic illa corporum universitas conser-  
vetur. Illud vero non ita simpliciter extendendum ad  
casum ubi sub universitate omnium aut partis bono-  
rum, una cum rebus, quarum salva in usufructu manet  
substantia, etiam res, quæ usu consumuntur, simul con-  
tinentur. Quippe ratione harum plane separata est  
præstanda cautio, nec illæ sub vero usufructu continen-  
tur sed separatum negotium constituunt. l. 2. & l. 4. ff.  
dict. tit. ideoq; si e. g. in usufructu omnium bonorum  
etiam nomina, Vina, aliave consumtibilia continean-  
tur, ac sine facto ac culpa usufructuarii, nomina illa  
inutilia reddit, vel vinum coacuerit, aliove modo ta-  
les res perierint, illud damnum ex proventu reliquo-  
rum bonorum non esse resarcendum, sed a proprietario  
ferendum arbitramur, æque ac si alia res, in vero usu-  
fructu consistentes, sub illa universitate contentæ, verb.  
gr. ædes incendio periissent, cum & in quasi usufructu  
res ipsa extra usum quasi usufructuarii, in alterius quasi  
proprietate maneat, & illa in plenisima quasi usufruc-  
tuarii proprietate esse non videatur, in tantum, ut si.  
e.g. pecunia, sub conditione alteri post mortem resti-  
tuendæ, ususfructus sit relictus, proprietas & non usus-  
fructus illius pecunia legatus dicatur l. ult. ff. dict. tit.  
& ita etiam in rebus, quæ usu consumuntur, ususfruc-  
tus à proprietate differat, ita ut & illa proprietas alii  
obligari possit manente usufructu juris l. 2. C. de Usufr.  
De cœtero vero constet, in usufructu tantum requiri, ne  
ipse usufructuarius facto suo deteriore causam usus-  
fructus reddat, sed ita agat, quæ in re sua faceret, l. 1.  
§. 3. ff. de Usufr. Unde sequitur ad fatales casus &  
vim

## THES. XI.

Hisce ita presuppositis, cum constet, quod omnis generis servitutes pactionibus quoque & stipulationibus introduci possint, *S. fin. Inst. de Servit. ibique DD.* ac sœpius aliis contractibus pactio de servitute quadam constituenda adjiciatur, quod tamen ipsam servituis naturam non immutat, nullum dubium est, quin illa pactio locationibus prædiornm instructorum adjici solita, quæ pecora in fundo parata conductori utenda fruenda traduntur, proprietate locatori salva manente, ita ut finita locatione, vel similia ejusdem bonitatis pecora vel existimatio illorum præstetur, quod vulgo Contractum Socidæ vocant, de quo vid. Tabor. tract. de jure Socid., ad l. 27. C. de pacis Rauchbar. p. 2. qu. 29. n. 13. & seqq. si non formalem quasi usumfructum involvat, proximè tamen ad eum accedat, ut sic illa, quæ de fatali damno circa quasi usufructuarium retro notata sunt, non in congruè hic applicentur. Quapropter, quamvis DD. communiter circa hunc contractum ita in genere statuant, quod per illum omne periculum illorum pecorum ad conductorem transferatur Vid. Struv. Syntag. Jur. Civ. Exerc. 24. tb. 16. tamen per retro deducta hic quoque distinguendum existimamus, utrum in illis pecoribus particulare contigerit damnum, an universitas illorum insperato casu perierit; Priori casu tenebitur talis conductor exemplo usufructuarii, quantum fieri possit, tanquam bonus paterfamilias ex fœtu substituere, non vero si & foetus non sufficiat, alia emere arg. d. §. 38. Inst. de R. D.

Poste-

A QUASI USUFR. NON PRÆSTANDO. 17

Posteriori vero casu, cum per hunc usus illorum pecorum prorsus extingvatur *L. ult. ff. quib. mod. usufruct. fin.* omnia pe-  
conductorem à satisfactione præstanda immunem esse coro perie-  
censemus, nisi expresse aliud convenerit, & hoc eò ma-  
gis, quod contrahentes de tali casu tempore contractus  
non cogitaverint, casus vero plane incogitati & insoliti  
sub casu fortuito eò minus contineri possint, quò ab-  
surdum videtur, conductorem illum casum in se rece-  
pisse, de quo ut recipiatur, tempore contractus nemini  
contrahentium in mentem venit, potius ex circum-  
stantiis appareat, quod si contrahentes talem casum præ-  
vidissent, vel saltem facile eventurum cogitassem, in ejus  
præstationem alterum nunquam consensurum fuisse,  
quicquid etiam in contrarium statuant multi DD. alle-  
gati à Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 24. th. 17. ex quo fun-  
damento, cum post pacem Neomagensem Galli prorsus  
ex insperato Brandenburgicas Westphalicas provincias  
invasissent, ac nonnullis colonis integras greges peco-  
rum abegissent, non obstante contractu Socidæ ab his  
inito, tales colonos ad satisfactionem illorum pecorum  
non teneri, rectè pronunciatum esse ab Excellent Dno,  
Præside accepi.

TH. XII,

De pecunia vero hic singulare videtur, quod ejus  
quasi ususfructus ad certum tempus constitui non pos-  
sit, cum ratione hujus in cautione quasiusufructuaria so-  
li illi duo casus contineantur, mortis & capitis diminu-  
tionis *l. 9. ff. de Usufr. earum que usu consumt. & l. 7 §. 1. ff.*  
*usufr. quemadmodum. cav.* ex quo sequitur, si usus pecuniæ ad  
certum tempus tantum concessus sit, illud, quamvis no-  
minatim mutui mentio factio non sit, non pro quasi u-  
susfructu. *Ejus effectus*

Pecunia  
quasiusufr.  
ad tempus  
non datur.

C

usufr.



## 18 DISP. DE CASU FORTUITO

usufructu, sed pro credito, per quod omnis proprietas & periculum, ab ejus traditione, in debitorem transferatur, habendum esse, neque mirum, quod ex tali negotio omne periculum in debitorem (cui etiam ante usum illius pecuniae, eadem fatali casu periit) transferatur, in usu vero vel usufructu pecuniae legato, si haec sine facto usufructuarii periisset, hunc ad satisfactionem non teneri, cum quod ultimae voluntates sint plenus intelligentiae, ne illum, cui testator benefacere, eique donum relinquere voluit, pr. *Inst. de Legat.* citra omnem hujus culam gravent, tum quod in usufructu pecuniae, quædam quasi imago proprietatis ratione ipsius sortis, apud heredem maneat. d.l.2. C. de Usufr.

## TH. XIII.

*Qualis actio propter rem extinguitam quasi proprietario competeret.*

Quemadmodum vero quasiusufructuarium ad causum, qui citra ipsius factum contigit, præstandum, obligatum non esse, probavimus, sic postquam ipsius factum intervenit, rei in proprium usum semel adhibitæ, quatenus hoc hujus commodum tantum respicit, omne periculum ferre debet, cum suo facto causam proprietarii (idem est & quasi proprietarii) deteriorem reddere non debeat. l. si ususfructus 13. §. fructarius 4. ff. de Usufruct. ad cuius satisfactionem consequendam, si cautio debito modo interposita sit, actio ex stipulatu, aut si hypotheca adjecta, hypothecaria competit, quæ tamen actiones ante mortem ipsius usufructuarii institui non possunt, per d. l. 9. de usufr. earum rerum que us. conf. & l. 7. §. 1. usufr. quemadm. cap. cum eousque jus quasi proprietarii quietcat, ac huic in casum finiti ususfructus satis sit cautum, si vero cautio non intervenerit, poterit nihilominus vel constante tempore vel finito usufructu ipsam sortem.

## A QVASIUSUFRUCT. NON PRÆST. 19

soritem condicione certi exigere L. 5. §. i. de usuf. ear.  
rerum que usuf. conf.

### THEs. XIV.

Denique notandum, quod re casu, quem non tenetur præstare quasi usufructuarius, peremta, nec fidejussor eius conveniri possit, cum ille in plus quam ipse principalis obligari, aut in duriorem causam accipi non possit §. 5. Inst. de fidejuss. l. 34. l. 42. ff. eod. hoc enim si exigente creditore factum sit, prorsus non obligabitur fidejussor l. 8. §. 7. ff. de fidej. junct. l. 16. §. 1. eod. & quamvis contrarium, fidejussorem sc. ad summam concurrentem obligari, hodierna praxi observari plurimi velint, vid. Hering. de fidej. c. 24. n. 52. & seqq. Grøenweg. de Legibus abrogat. ad dict. leg. 8. Gomez. 2. Refol. 13. n. 3. Vasqv. l. c. 40. n. 5. Argentr. ad Consuetud. Britann. art. 105. tamen nec ex eo præsupposito fidejussor quasi usufructuarii ad casum ab hoc non præstandum obligari poterit, cum enim sic in aliam obligationem accipiatur fidejussor, certum est, nullam fidejussionem esse, d. l. 8. §. 8. & l. 38. pr. l. 42. ff. eod. Si autem, propter rem in usu ipsius fructuarii peremtam, fidejussor condicione certi stipulatu conventus solvere debuit, actione mandati ab illo, pro quo fidejussit regressum habebit; quod limitatur si heredi ab ipso testatore cautio quasi usufructuaria injuncta & res postea perierit, ut exinde quasiusufructuarii heres locupletior non existat, tunc enim talis fidejussorem nullum habere regressum notat Beat. Dn. Brunnen. ad L. 8. ff. de usuf. earum rerum, que usū conf. n. 2.

### TH. XV.

Cum ergo ex deductis appareat, casus fortuitos &

C 3

rei

20      DISP. DE CASU FORTUITO

rei periculum, quod citra factum usufructuarii contigit, tam in quasi usufructu quam in vero, ad proprietarium pertinere, ac hujus materiae insignis hodie sit usus in usufructu omnium bonorum Carpz. P. 3. c. 13. Def. 5. & in usu nominum, ubi sors est restituenda l. 5. ff. de usufr. ear. rer. que usu consūm. vid. Brunneman. d. Leg. 1. dict. tit. n. 2. & 3. frustra erroris inculpantur Mynsingerus & Baldus nobiscum sentientes a Vinnio in Comment. ad Inst. §. 3. de Usufr. n. 5. Et quamvis DD. communiter contrarium statuant, tamen horum error, contra evidētēntem quasi usufructus naturam, infelicem quasiusufructuarium, postquam ipse fortunae adversitate usu illius rei carere debuit, ad novam calamitatem, ut scilicet aestimationem praestare debeat, cogere nequit; potius justitia & veritas ubique sectanda, cui ut B. L. sine præjudicio autoritatis assensum suum addat, vel ex legibus ac illarum ratione amicè contrarii nos convin-  
cat, obnixe rogo. Interim omnipotenti  
Deo sit Laus & Gloria.

---

*Corollaria*

I.

Ex sola privatorum conventione, nulla oritur irrevocabilis naturalis obli-  
gatio, nisi & hoc expresse inter pacis-  
centes actum sit, alterum tamen fallere  
fidem

fidem non servare, mentiri, Deo, & naturæ contrarium est.

II.

Sæpius quis justè condemnatur in id, quod respectu Dei & naturalis charitatis injustè exigitur, & juste absolvitur ab eo, quod sine peccato omitti non poterat.

III.

Quod Ulpianus in l. 15. in fin. de *Uſufr.* dicit; Proprietatis Dominium ne quidem consentiente usufructuario servitutem fundo imponere posse, eo minus absurdum est, quo aliter secundum naturam horam negotiorum res illa se habere non poslit.

IV.

Quod in L. 29. C. ad L. Jul. de *Adult.* Ministra cauponæ à poena adulterii immunis pronuncietur, potius christianæ charitati convenit, quam quod disposi-  
tio

tio illa iustitiæ argui possit. Abiur de tamen exinde infertur, quod cum tali ministra impunè adulterium committi possit.

v.

*Auth. si qua mulier. C. ad SCtum Vellejanum* in naturali æquitate fundata est, male tamen ut plurimum in foris Germaniæ secundum illam pronuntia-  
tur.

vi.

Testamenta quorum causa ad ex- cludendos heredes ab intestato inveni- tur iusta, nullo jure valere possunt.

vii.

Prærogativa successioni Agnato- rum, in jure Divino ac Gentium est fun- data, & iuste ab Imperatore in Nov. 118. iustitiæ accusatur, potius dispositio il- lius novellæ, de æquali cognatorum & agnatorum successione, iusto nititur fundamento.

viii.

VIII.

Nullum matrimonium propter sanguinis proximitatem est illicitum, prohibitiones tamen juris Divini, generali moralitate niti & indispensabiles esse contendimus.

IX.

Sororem Uxoris defunctæ, vel fratris aut sororis filiam ducere, cum moralitate & lege non pugnat, non tamen facile tales conjunctiones admittendæ sunt.

X.

Ex pactis inter conjuges, hodie hereditatem deferri, salvis fundamentis juris ac vera moralitate prætendi nequit.





Ka 1658.

Rubro V

ULB Halle  
005 612 063

3







Q. D. B. V.

**DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
De  
CASU FORTUITO, A  
QVASI USUFRUCTUARIO  
NON PRÆSTANDO,**

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DN.

**FRIDERICO WILHELMO,**  
REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATVS BRANDEN-  
BURGICI HÆREDE, &c. &c.

*Ex Decreto & Authoritate inclytæ Facultatis Juridica*

PRAESIDE  
**DN. HENRICO BODINO,**  
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORVSSIÆ  
CONSIL. ECCLES. IN DUCATU MAGDEBURG. ET PRO-  
FESSORE JURIS ORDINARIO, NEC NON FA-  
CULT. JURID. p. t. DECANO,  
DN. PATRONO ET PROMOTORE SUO etatem devenerando,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRI-  
VILEGIÆ DOCTORALIA ritè capessendi,  
ad d. IV. Augusti anno MDCCIII.  
Publicæ Eruditorum disquisitioni silit

**SIGISMUND ANDREAS Oberfampff/**  
Misen. Misn. Advocatus juratus.

---

Halle, typis Christophori Andreae Zeitleri, Acad. Typogr. 1703.